

hydrope, usu venire solet. Terrea etiam quævis lympham ventriculi absorbentia atque imbibentia, imprimis calculi in stomacho latitantes, quales *Hæffer. Herc. Med. Tom. 1. l. 3. c. 1. & Miscell. Curios. Ann. 2. obs. 181. & annex. schol.* annotârunt, vix culpâ carere videntur.

THES. XXIII.

Non minus etiam debilitatur actio eadem ab inertia istius lymphæ, si particulæ salino-volatiles, ad alimentorum dissolutionem ritè peragendam maximè necessaria, obtundantur ac enerventur, quod ab humoribus pariter ac alimentis viscidioribus, pinguibus aut aquosis, nec non absorbentibus terreis & silibus intempestivè adhibitis, ipicula ista salina in se convertentibus, solenne est: it. quando lymphæ dicta ob caloris defectum fluiditatem desideratam amittit, & in offam viscidam coagulatur.

THES. XXIV.

Nec silentio involvenda erit illa humoris digestivi depravatio, quam in duplici ista cruditate penes autores Practicos satis celebri, acida videlicet & nidorosa, patitur. Vbi nimirum in ista, ab acidorum abusu ortum ducente, alimenta in succum acidum plus minus viscidum abeunt: In hac verò sive nidorosa, quæ bilis acrioris regurgitationi ad ventriculum, assumptis etiam pinguibus & aliis ad putredinem magis inclinantibus, debetur, alimenta non in chylum laudabilem, sed liquamen putridum convertuntur.

THES. XXV.

Et quæ jam de ventriculo ejusque menstruo dicta sunt, quàm commodè etiam applicari poterunt intestinis, eorumque humoribus, succo scil. pancreatico, & lymphæ è glandulis intestinalibus stillanti, itidem menstrui vice fungentibus.

THES.